



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii,
Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis**

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

S. Chvnegvndis Avgvsta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79686)

S. KVNEGVNDIS IMPERATRIX, CONIVNX, VIRGO.



Edomat indomitas Aetnae potentia cautes,
Et molit in cineres cornua dura focus.
Expugnat solidum chalybis fera flamma rigorem;
Ledere virgineos cur timet illa pedes?

Rupibus et saxis, et dentibus atq. metallis
Fortior est tenera Virginitas ergo pudor?
Coniugis intactae Caesar miracula palles?
Parce metu: castum styx timer ipsa torum.

S. CHVNE-



...et ...
...et ...
...et ...
...et ...

S. CHVNEGVNDIS

A V G V S T A.



Hunegundis Mosellana Sigefridi Metensis reguli filia, Henrici S. conjunx, desponsum Deo florem Virginitatis, apud virum, per invidiam & artes impurissimi hostis cacodæmonis, in suspicionem adductum, grauissimo candentium igne vomerum experimento (a) judicioque exploratum, comprobauit. Verita enim est flamma lædere illam, quæ illæsum Deo viroque torum & pudorem conseruârat. Nec contenta hac pulcherrimâ virtute, quâ Pulcheriam Augustam Marciani vel æquauit, vel superauit, ab Imperatoris Henrici obitu, vittâ sacrâ, pro coronâ, sumtâ, solenni ceremoniâ, sese rebus humanis omnibus abdicauit, Christoque cælesti Imperatori in Cœnobio Virginum ab ipsâ quondam extructo Babenbergæ in S. Benedicti familiâ se totam (b) emancipauit. Cælo adscripta, terris ejusmodi exemplum reliquit, quod omnis posteritas adhuc miratur, nemo in tanto fastigio imitatur. Qui plura desiderat, apud Gretserum in SS. Bambergensibus, nuper editis, cognoscet.

*idem auctores.
Crancius,
Lupoldus
Babenburgius. Trithemius de
vitis illust.
Ord. S. Benedicti. Scrip-
tores Ger-
manici to.
II. 3. Mart.
passim aliq.
Gretserus
in SS. Bam-
bergensib.*

(a) De hoc genere purgationis per ignem disputat fuse Mart. Delrims Disquis. Mag. lib. 4. 7. 9. sect. 3. ubi varia adducuntur exempla.

(b) Obijt A. C. MXL. Lege Arnoldum VVionem 3. Martij.

